

**Zeitschrift:** Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins  
Zentralschweiz

**Herausgeber:** Historischer Verein Zentralschweiz

**Band:** 3 (1846)

**Artikel:** Beilagen : einige Briefe an Alb. von Bonstetten und denselben  
betreffende Urkunden

**Autor:** [s.n.]

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-109784>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 18.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## B.

### Beilagen.

#### **Einige Briefe an Alb. von Bonstetten und denselben betreffende Urkunden.**

(Aus der St. Galler Handschrift.)

---

#### 1.

*Nobili celeberrimoque Viro Domino Alb. de Bonst. decano loci heremitarum præceptori et Domino suo percolendo Thuringus Friker juris doctor et cancellarius magnifici Domini Bernensium s. p. d.*

Obtulit se mihi ne opinanti materia, qua ut tibi complacerer agilior redderem, quia litteras ex me (ut dicis) valde desideras, Tristem rem ago, quæ nisi Deo mediatore sat lugubrem nancisci poterit effectum. Accepi pro novis mercatores confœderatorum cis Argentinam et quod majus est in reno per bilgerinum equitem de Hœndorff vi (et ut ita dicam) mirabili austeritate superatos cum ingenti partium ruina, sunt utrinque cesi vulnerati occisi et quod ex eis superest in castro Geroldsek pro latronibus vinculis enodati. Hæc res animos Confœderatorum ferociore quam facile credes fecit, in campum turmæ prodierunt, adsunt auxilio Argentinenses quorum in territoriis hæc acta feruntur. Oppidum expugnatum dicitur et interceptum. In castro Geroltzek vis conatusque animorum laborat. Sunt qui dicunt decem mille confederatis tentoria illic pro more hostium fixisse. Bombardæ argentinenses boatum in celum usque extrudunt, cadunt turres et spes est vicinissimæ Victoriæ; que ut contingat deos quæso, præsertim cum is de Hœndorff litis præteritæ caput (ut scis) fuerit. Habe hæc pro recen-

sitis, nolo efficaciter creditui admittas neque ex me depromes. Hoc in loco forte huic de Rinach tuo et affini et benevolo nostro oppitulamen accidit. Is revertitur, gratum mihi est, dum in rem suam sit. Tua interest continuo ut circa eum et cura et castigatione fruare. In factis tuis non seciori diligentia fruam quam te senserimus. Epistolis quas uberiores ex me dietim habebis fac ut respondeas. Vide casse ne fiant. Itidem ego factitabo.

Tu felix vale. Ex como Jovis post festivitatem paschæ  
Anno LXXIII. (1473)

## 2.

*Venerabili viroque preclaro Domino Alb. de Bonstetten Decano heremitensi Domino et amico incomparabili Antonius Laudensis tuus. Ad vota s. p. d.*

Id meum quum induxissem animum, stilo me ut oratorio asuefacerem et mecum sæpe volutarem numero cui scribere deberem, te aptior nemo meam in mentem venit. Multis variisque disciplinis te condecoratum esse percenseo et arte precipue oratoria ubi memoria repeto, per triennium hujus fuisse discipulum et ultra longe haud solum hac in Liguria, verum et in studiis Germaniæ tuæ, in qua nempe tempestate quilibet boni ingenii adolescens summam dicendi copiam assequi potest. Sed quom meo volutassem animo tuam humanitatis mutuum benevolentiam quam semper erga me liquido exarasti mea ad te Cyrographa fui ausus transmittere ut assidua scriptitandi palestra, tuisque rationibus jam notissima est, doctior evaderem. Sum enim certior quod non litteras ad me dare indignaberis, quando puer prope et indoctus percenseri possim eam inspiciendo benignitatis ac amoris vehementiam meas in rationes ostentasti. Et in hoc tuam patefacies mansuetudinem quæ ulla penitus sine arrogantia est.

Vale tandem Germanorum nobilissime. Data Ticini.

## 3.

*Nobili celeberrimoque viro Domino Alb. de Bonst. etc. Tüiringus Fryker doctor s. p. d.*

Volueras ut pro re tua officiosus essem quod non minus ex debito quam libenter feceram. Veneram itaque in villam quam vulgo Kilogassen nominamus; ibi quam mox feci ut scirem ubi

gentium Amman Kupferschmid moraretur. Dicebant eum legatione ad Vallesienses fungi, nec copiam eius hoc momento haberi posse. Hoc sentiens perdolui. Volui tamen quod in me erat perficere, domum petii, illic duas eius filias elegantis formæ, ita ut facile quis in flammam caderet offenderam, illis litteras tuas tradidi, dein loco heremitarum me recepi, ubi habitis inter procuratorem tuum et me quamplurimis collationibus, persensi quosdam tuos æmulos jam manifesto te, clanculo tete impedire. Commovebar non medio-criter, continebam tamen ne alicui me ostenderem. Porro Lucernam veniens Heinricum nostrum de Hunwyl petebam. Is in Raperswil non illic fuit. Deos pene si licuisset increpasssem, sic me operam-que meam deludier. Et cum adventus eius nulli certus haberetur dehinc recta Bernam proficiscebar ubi paucos post dies Lausannam, deinde reversus tibi ut satisfacerem milites tuos alloquebar. Comperi Nicolaum de Diesbach in modum tuum aptissimum. Postridie litteras proprio cum tabellario audiens Heinricum de Hunnwyl Lucernam adisse eidem perscripsi hortando monendo et obtestando, ut tibi pro opportunitate tua iret consultum. Is longo (ut solet) sermone respondit, se tibi tamquam preceptoris gratissimo miro modo affectum, nec per eum stare quo minus auxilii copia tibi fiat sed per germanum tuum qui cautiones super iis . . . . nondum promoverit, nec quo fiant adhuc curæ habeat. Quod si vel factum esset vel hodie fieret tibi peccunias in promptu esse. Momordet animum meum hæc tui fratris erga te durities. Cogitabam si hoc non successerit aliam ut amplecterer viam, patrem meum missum volui ad Thuregum et adeo fratrem usque tuum. Is nondum rediit, nec quod pro novis habuerit mihi insinuavit. Spero tamen me propediem certiozem evasurum, ita ut aptate et cupide tibi scribere possim. Mihi crede, tecum multis modis turbor, videns hominem tanti ponderis tantæque preminentiae et virtutis sic iri neglectum. Habebis quamprimum alias et forsân lætiores litteras. Lites non penes timentur. Dux Austriæ cum suis complicibus colla elevat, turgidi sunt adversum nos et alii principes domini tamen confœderati multis modis se munitos faciunt. Fertur quod tuus Insubrium dux etiam in nos conspiraverit. Spes est in deo ut meliora quam alii permittunt tribuat. Quod de his senseris mihi precor insinuas. Sicque vale felix semper et nostrum de Rinach mille modis salvum ex me dicito. Datum in Ansoplingen.

## 4.

*Nobili atque egregio viro nec non disertissimo Domino Alb. de  
Bonst. Marquardus de Lapide s. p. d.*

Etsi superioribus diebus litteras a me habueris, tamen cum habeam ut quid novi ad te scribam et certum ad te latorem, duxi id quod tibi jucundum arbitrabar ad te iterum scribere. Hispanus ymmo Hispaniolus anno elapso a rectoratus sublimitate frustratus, magnificos comites nostros de Oettingen nostramque nationem vehementer hortatus fuerat, ut sibi nunc suffragari dignarentur. Habita igitur nostræ nationis concione, in qua primum quæsitum est, num quis nostrum sit, qui hanc in se provinciam suscipere velit, apparuit nullus. Dein an quis Italorum; nec horum quidem repertus est ullus; postremo velimusne omnes nostræ ad herere nationi, et quidquid hæc decernat atque concludat obtemperare, quod ultimum contentione consumebatur, quod omnino hispano alii, alii contra nunquam se suffragaturos affirmabant, discordes discessimus. Interea Johannes Reh de Rehenstein canonicus iste (quem dudum nosti) Basiliensis, quo spiritu sit motus me latet. Is duodecimo die (quod vix satis temporis ad rem agenda fuit) ante rectoris electionem præliumque dictum hispanum (Audentes fortunam juvare arbitratus, quæ magna sibi multis in rebus partem vendicat) hilari vultu iniit, et patulis (ut vulgus loquitur) dulcibus multo optimoque bacho, maximis ad hoc tantum bellum presidiis ædes suas acriter dimicat. Cum ille hispanus nixus, quoscunque potest cum blandimentis, tum etiam qui verbis non vescuntur æris papulo corrumpit, adeo ut vix resistere videamur. Sed quamquam dictus competitor multos sibi duobus illis annis benevolentia comparaverit fautores, plures etiam hac tempestate, qui nobis iuramentis adhibitis fidem dedere, pecunia corrumpit, tamen superiores fore non dubitamus propterea quod multorum illustrium virorum non modo suffragia sed et suppetias nobis vendicamus. Itaque medio jam in conflictu cæsim utrimque pugnantes bellum gerimus quam maximum. Hæc te præterire nolui. Fui fortasse longior quam par est, quodsi delictum apud te sit multa narrare, certior sis velim a me magnipendere presertim a longinquis ac propriis in laribus.

Vale. E. Papia Virorum humanissime.

*Egregio viroque clarissimo Domino Alb. de Bonst. insignis loci heremitarum Decano, Domino suo per dilecto Conradus Schoch artium doctor et canonicus Lucernensis s. p. d.*

Adiit me hesterno vespere tabellarius tuus (heros nobilissime) cum litteris tuis exoptatissimis, quas cum libenter vidi, tum lectitavi quam jucundissime. In iis etenim lectitandis videre visus sum et esse et loqui tecum. Et omnium primum gratias tibi habeo immortales quod tum egregie me exceperis apud heremitas, tum etiam vel maxime, quod nihil abs te prætermisum fuit, quod ad me summopere ornandum pertineret. Itaque vix dici posset, quanto me beneficio existimem amplitudini tuæ obstrictum fore. Sed unum nequaquam te latere velim, officii mei fuisse ut te litteris meis antevertissem. Sed huic dulci pioque officio impedimento fuerunt adhucque sunt infinitæ occupationes meæ quibus pene obruor, adeo ut plerasque noctes a tempore mei recessus a te transegerim insompnes. Sed jamjam cum tu pro tua humanitate tuis ad me litteris antevertere me curaris, non potui nil litterarum ad te dare, in tantis occupationibus meis. Et de iis hactenus deinde eatur in epistolam tuam. Miraris tu quidem de tarditate mea et quid egerim quidve perfecerim erga oratores istos tuo in negotio, brevibus accipe. Tantam hactenus fuisse occupationem erga illos occasione petitionum singularum personarum in dies emergentium ut hac de re nullum verbum apud eos fecerim. Sic enim mihi consultius factum iri visum fuit. Maxime cum res ipsorum oratorum proxima die sabbathi in desperatione omnimoda fuerit posita, negantibus magnificis dominis Confederatis eis ulterius dare salvum conductum. Eratque in iis terminis omnis causa ipsorum ut nihil ulterius facere restaret, nisi dare quam citissime litteras difidentiae ad principem, ita tumultus subito erat subortus . . . . . principem per multas personas singulares calamo explicare nequeo, quantus labor quantaque inquietudo habita sit, quantos denique conatus in eis componendis habuerimus, quæ jam ex gratia dei optimi maximi in bona dispositione ponuntur. Cæterum non latere te volo quantis nostra hæc civitas habundet jamjam oratoribus et legatis cum a diversis principibus tum a regibus ad ligam hanc missis. Adest imprimis legatus seu ambasiator christianissimi regis francorum,

ducis austriæ una perillustris Domini Mediolani ducis sabaudie, Episcopi Gebenensis Comitum rotundi montis ac plurium civitatum et dominorum de quibus prolixiorum contexerim sermonem si nominatim eos explicare studuerim. Quare affectarem te in formam debitam redegissem egregiam illam compilationem tuam ut in tanta nobilissimorum hominum concione eandem exhiberes atque publicares. Haud enim dubito ingentes ex hoc laudes ac commoda non vulgaria assecuturum. Et hac de re satis. Dum tempus affuerit proponendi commendationem tuam, curabo id fieri quam diligentissime et ita ut nunquam me ignaviæ accusabis. Velim igitur bono ut stes animo. Commendas mihi tuum istum familiarem, qui et ipse petitionem quandam affert sui parte; non erat opus nec ipsum nec aliquem de tuis etiam minimis mihi commendare. Tua enim erga me virtus, ingeniique prestantia ac eloquentia singularis id egerunt, ut merito omnes tuos commendatissimos habere debeam, ac tuam rem omnem non secus atque ipsius meam mihi cordi esse persuadeas velim. Tractatulum tuum de Justitia mihi per te singulari amore accomodatum etsi legi et relegi ad finem usque, non sufficit tamen nisi plenius considerem adhuc. Ego enim singularem ingenii acrimoniam, summamque prudentiam in hoc opere suum admiratus. Vale heros nobilissime et me commendatum habe, tuisque litteris me frequentius adi. Quamquam enim de te quotidie percontanti grati nuntii afferuntur multo tamen gratiora sunt, quæ ex tuis litteris, quæ ex te ipse cognoro. Vale iterum mille. Ex Lucerna XVII Kal. Majas.

## 6.

*Ascanius Maria Sforzia Vicecomes et ex ducali sanguine Mediolani cretus nec non Apostolicus Protonotarius venerabili in Christo, amico carissimo Domino Alb. de Bonst Decano loci Heremitarum Alamanniæ superioris s. p. d.*

Munus balistæ tuæ nobis acceptissimum fuit, sed non tantum ipsum munus consideravimus quantum animum et voluntatem erga nos tuam. Agimus tibi ea de re gratias immortales, et vehementer hortamur ut canes quos nobis indubitanter promisisti mittere sedulo cures. Nos operam studium nostrum in omnibus rebus tuis libentissime pollicemur, uti ex harum tabulario nostro uberius intelliges.

Papiæ die XII Junii.

## 7.

*Ascanius Maria Sforzia Vicecomes Apostolicus prothonotarius  
Alb. suo de Bonst. s. p. d.*

Redditæ nobis fuerunt litteræ tuæ cum canibus decem, quibus nobis plurimum gratificatus fuisti. Canes enim illi odorissequi ad venandum optimi sunt. Quare non modo agenda et habenda, verum etiam referenda et commemoranda gratia opus esse existimavimus. Quæ nobis scripsisti per Johanem Dominicum explicanda per ipsum accepimus in iisque nomine vestro faciemus, ut fidum principem decet. Preterea per tabellarium tuum harum ostensorem taschgeram baltheum sericeam velutique nigri petiam (?) brachiis decem longam ad te mittimus, non munere sed ut tempore, quo eis frueris, tibi memoriæ simus, te etiam magnopere ac plurimum hortantes ut canes odorissequos hujusmodi generis sagaces ad nos transmittas, nostrumque desiderium ipsius tabellarii relatu, qui canum novit qualitates perquiras, qui quemadmodum auctoritatem, gratiam fortunasque nostras arbitratus tuo exponeremus easque pollicemur, amore ac liberalitate tua freti audentius eos requirimus. Et sicut nos si qua partibus illis optamus, ea a te petimus, ita et si qua tibi eorum quæ in partibus iis et curia nostra sunt inest cupiditas nos certiores effice, toto cum corde vota tua adimplere diligentissime curabimus.

Datum papiæ die XV Aprilis.

## 8.

*Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani, papiæ  
Angleriæque comes, Jannæ et Cremonæ Dominus etc. Venerabili Amico nostro carissimo, Domino Alb. de Bonstetten  
Decano loci Heremitarum s. p. d.*

Vidimus quantum nobis seorsim scribis, retinuimusque id intra nos, ut par fuerat et tu admones. Agimus amori tuo immortales gratias atque ut intelligas gratissimum nobis hoc accidisse reprobabimus. Sed obsecro ne pigeat diligentiolem circa hoc fratris nostri negotium curam adhibere, ut de tota re verum plenius intelligamus; poterunt enim huiusmodi esse ut non solum frater sed et nos et totus status noster tibi in perpetuum debeat.

Data Mediolani.

## 9.

*Viro inprimis erudito nec non nobili atque ornatissimo viro  
Domino Alb. de Bonst. loci Heremitarum Decano perdigno  
Bartholomeus de Welden Canonicus Augustensis atque  
alii germanice nationis scholares s. p. d.*

Litteras tuas et candore et sententia refertas jocundo animo accepimus nec mirum tibi sit cur hactenus Liguriæ Insubriæque mortis seriem non scripserimus, alii enim illo, alii alio modo debitum mortis ipsum persolvisse ajebant. Loci item inter nos distantia et certorum nuntiorum penuria nostra ad te scripta retardarunt. Quid plura? Galeatium Mariam Sfortiam Mediolani ducem quintum huiuscemodi morte obiisse ut sequitur parumper noscitur. Fuere certi nobiles e civibus Mediolani, qui cum intra se injurias iis illatas plus æquo ponderarint, Longobardiam vero a tyrannide regis vita liberare aestimarunt, . . . . . (nescio quo spiritu inducti) meliorem arbitrati in mortem . . . . . principis inclinarunt ipsumque die sancti Stephani dum missæ solemnia auditurus ecclesiam peteret in templi limine ducem aggressi ipsum pugione quodam transfixerunt, qui illic fatum solvens decessit. Unus vero et præcipuus hujus conspirationis gladio animam exhalavit, alii quoque post quadripartiti et morti adjudicati pœnas solverunt. Narrantur multa alia et vera et fictitia, quæ tamen te latere melius arbitramur . . . vero nunc aliquantulum exonerata adhuc vivit salva, nisi externæ nationes eam infestare proponerent, quæ nos maxime latent. Timent (ut audio) nationem Germanicam belli . . . exercitatum, tu ipse tum hæc melius nosti. Insuper piis tuis scriptis moti nos obligati esse volumus, ubi locus se dederit tibi et tuis dignitatem vestram extollendo, venerando tanquam nobis amicam honorare. Quod si aliquid novi emanarit, in quo nostrum periculum esset exspectandum nos moneri cupimus, et si possumus vices refundemus. Georium de hurenheim avunculum tuum et Johannem de Wolfstein non amplius morem trahere in hoc studio scito, sed propter pestiferum morbum abiere. Vale, nam te ipsum omnes valere admodum cupimus. Ex Ticinensi Academia die Jovis post Marie Annunciationem.

## 10.

*Venerabili et egregio viro Domino Alb. de Bonst. decano loci heremitarum Domino suo percolendo Conradus Schoch Artium magister et Canonicus Lucernensis s. p. d.*

Cum hesterno vesperi præsentem tabellarium accepissem, non potui pro nostra mutua caritate atque benevolentia nil litterarum ad te dare, præsertimque cum tempus ipsum ad scribendum hortaretur, antevertere potius quam iterum abs te anteverti malui, quo ex hoc fidem tibi facerem atque intelligeres nullo amoris officio me posse a te superari. Tu enim tibi velim persuadeas eum me esse futurumque in dies, qui in te colendo cessurus sim nemini. Increbuit hic rumor quispiam quam statim adventare illustrissimum principem Ducem tuum Sigismundum, maximamque dietam affuturam. Quid ergo tibi faciendum sit ratione tractatuli tui, operis peregregii, te scio non latere. Velim igitur hoc ipsum opus interim perficias compleasque, et ad hoc ipsum tempus te hic coram repræsentes. Miror etiam te virum prudentissimum nuper in tanta celeberrimorum oratorum et hominum concione non adfuisse potiusque detineri te oblectationibus nescio quibus in specu tuo. Sed de his jocatus sum uti quæque decet quod nostro more nobilis tuæ innatæque virtutis in meliorem interpreteris partem precor. Vale. Tabellarii huius ob repentinum recessum longior hac tempestate tecum esse non valui. Vale iterum cum illo Oratii „O et præsidium et dulce decus meum.“

Ex Lucerna.

## 11.

*Albertus Cavallatius ab aucha Alberto suo de Bonstetten s. p. d.*

Redditæ sunt mihi per tabellarium tuum (vir insignis) litteræ dulces tuæ in quibus admiraris tarditatem litterarum ad te mearum. Cum Lucernensis nuntius et Venetiis profectus sit, et ego apud se tacuerim. Quæris demum ut tibi consulam quid in negotio nostro agendum sit. Ad omnia plane responsum dabo. Tabularius nunc venit cum litteris penitus alienis ab omni voluntate mea. Nam obtabam quod magnificus orator ad . . . . . proficisceretur, quem serenissima Dominatio mea justissimis tamen causis revocavit.

Veniebat enim causa gerendæ hujus germaniæ pacis cum Dominis Liguriæ, sed intellectu sensu ac interpositione sacræ regię Majestatis, ad quam hæc res tradita est, prælibato Dominio meo, visum fuit hanc rem non turbare, nec in ea se immisceri, ut sacra regia majestas hoc non moleste ferret, et existimare posset tuam dignitatem maculari ab iis qui amore et fide secum conjuncti sunt. Itaque orator ipse nondum venturus est, sed etiam in re-ditu tabellarii mei quem in presentiarum Venetias remitto, dulces lares adibo, sic a dominio admonitus. De digno opere tuo quid agendum sit consulo ut ad additum meum differatur, et nuntius tuus mecum proficiscatur. Nam apud serenissimum Dominum cæterosque Dominos inclytæ urbis omne opus meum, studium, favores omnesque meos pro gloria et dignitate nominis tui polliceor tibi atque confirmo. Interim litteræ magnificarum ligæ communitatum commendaticie parande sunt, ut laudi et honori tuæ plenius satisfiat, . . . . Sed Lucernensium signum et Glaronæ summe valebunt, omnes tamen aliæ sunt profuturæ. Et de iis satis. Cupio habere iterum ensem . . unum theutonicum ab Arzono, qui sit ejusdem bonitatis et pulchritudinis ut inter dignos enses possit computari. Nolo ut aliquid aurati in se contineat, cum eques non sim. Sed vagina . . . . ornamentis ferreis albis et pomo pulcherrimo inductus solum sit, nec etiam argentum volo, et quia novi te supra omnes nobilitatis principem, ideo ad te confugio. Rogo si vires mutui amoris nostri aliquid valent, ut ista in re opus mihi prestes tuum. Nam intellexi ymo in aliis video, quod in thurego fuerint excellentes. Igitur cura hoc ibidem perfici. Scio quod libente corde vires operabis tuas, et ego tibi per deos juro, quod nil gratius et acceptius perficere mihi posses. Commendare me tibi velis quæso. Vale Lucerne scriptum.

## 12.

*Cristianissimo, inclitissimo et gloriosissimo Heroi, domino Ludovico Francorum Regi Heroi nobis longe omnium gratiosiori.*

(Archiv Bern, Lateinisches Missivenbuch B, p. 457 b.)

Quam humillime sese recommendant, Cristianissime, inclitissime et gloriosissime Rex, heros longe omnium gratiosior. Dedicamur Nobili Egregioque viro Alberchto de Bonstetten, Decano loci

Heremitarum, Burgensi nobis spectatissimo ob ejus ingentes virtutes usque adeo, ut cupiamus ipsius fortunas prosperiores continuo fieri, Cum et ille ipse vicissim nostra in obsequia tanta caleat devotione, ut nihil eorum negligat, que virum gravissimum factu digna sunt, unde fit, ut intelligentibus nobis, eum ad instantiam Quorundam Regie Majestatis vestre ceterorumque Oratorum non nihil edidisse, quod eidem Majestati voluptatem afferre et que ceteris abdita sunt perspicaciora efficere possint, Artes suas ingenii-que dotes, que utraque in eo quam latissima sunt, ipsi Regie Majestatis vestre nostro pro virili devoveamus, Orantes quam submissa prece, ut opusculum istud jocunde suscipiat oppificemque ipsum ea munificentia amplectatur, ut sentiat has intercessionem nostras sibi plurimum contulisse, Qua in re Regia Majestas nobis singularissime complacebit, Nos ad longe majora paratos offerentes, Nam quidquam illi beneficiorum accesserit juxta ac nobis contributum existimabimus. Valeat felicissime Regia Majestas vestra nobis semper precipienda (precipiemus) Datum 10 Augusti 1481.  
Scultetus et Consules Urbis Bernensis.

## 13.

*Cristianissimo, Inclitissimo et gloriosissimo Heroi Domino Vladislao Hungarie et Bohemie Regi et Domino nobis gratiosissimo.*

(Archiv Bern, Lateinisches Missivenbuch D, p. 365 b)

Quam humillime sese recommendant, Cristianissime, Inclitissime Rex, heros gratiosissime! Intelligimus, Domino Alberto de Bonnstetten, Decano in Einsidlen, a quondam Cristianissimo Domino Mathia dum viveret Hungarie rege, de annua quadam pensione provistum extitisse et in ipsius integram solutionem summam septingentorum florenorum ad solvendam superesse, Pro cujus summe consequitione nunc requirimus, Eidem manus adjutrices ut porrigamus. Quare fit, ut Regiam Majestatem Vestram precamur, quatenus Eidem libeat prefatum Dominum Decanum ob id per recommissum habere et ea gratia prosequi, quo is, optatam solutionem nactus, capere possit has intercessionem nostras eum promovisse, Quod nobis gratissimum erit, Regie Majestati Vestre ad queque paratis. Ex Urbe nostra Bernensi 2 Juni 1492.

Scultetus et Consules Urbis Bernensis.

## 14.

*Alberti de Bonstetten prologus in librum Alexandri Magni  
de situ Indiæ.*

(Archiv Einſiedeln.)

---

**Prologus huius (libri).**

Illuſtri atque altigenito principi, excellentiſſimoque Domino Domino Eberhardo, Wirtenbergensi ac Teggenſi duci ac montiſpelgardi magno comiti et Domino ſuo plurimum gratioſo Albertus de Bonſtetten Decanus inſignis loci heremitarum ſ. p. d. Nihil habui princeps Illuſtris ac excellentiſſime in hac ſublimacione tua, quo te condonarem quam Alexandri magni libellum de ſitu Indiæ ad preceptorem ſuum Ariſtotelem; Reſ utique (fateor) te digna tametiſi excellencia tua portum transfretaverit ac perquam plurima a gadibus herculis ad gangen et auroram uſque perlustraverit, nihil tamen te apud Indiam (quam item vidius (?) jubente Domino abhorruit intrare) vidiffe intelligo. Spero tantæ ſublilitati per illum oppinioni me eius ſatisfactorum, tu qui nunc in Auguriſtreo regno, iuxta innatam clementiam nihil magis appetis quam in dieſ rerum admirandarum nucleum exquirere. Hæc tibi copioſe profert yſtoria quæ et nobile pectus tuum jucunditate (non ambigo) ſepenumero ſumma afficiet.

Curavi igitur per litterarum impreſſores, ad lucem ultro pervenire libellum, quom eciam materia hec rei noſtre publice multum afferre valeat aut in aliquo adverſari, nec itidem te dedignari credo cum et eiudem rei inter principes europe, tantus ſies elaborator tantuſque excultor ut qui digne alter publicola cenſeri ac nominari conſueveris, quo denique tandem actum, quod ſereniſſimus Maximilianus Ceſar ac Auguſtus noſter, jam perquam facillime perſuaderi poterat, ut ex te comiti prepotenti, magnifico ac generoſiſſimo in Illuſtrem excellentiſſimumque (eciam plurimum renitentem) ducem ſublimerit principatuſque ſceptra, atque inſignia mirum in modum manibus ſacraſſiſſimis eiſ con-

tulit, Ad que ita tibi nunc benedico salutemque tam auream et summam adopto, ut tandem ducatu secunde per funera exuto, olympicum regnum impetres possidere.

Vale princeps justissime, Suevorum sidus meusque crispus apollo, Ex Heremitis: XVIII Kalendas Novembres, Anno salutis M. CCCC. LXXXV.

